



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Ad Lectorem Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)



A D L E C T O R E M

PRÆFATIO.

V Niversalem Aristotelis Philosophiam (Amice Lector) in tres Commentarios distribuimus, quorum hiccè primus est in Logicam, sivè ut aliis placet, Dialecticam, quam, qui damnat, Apostolos criminatur, *Cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos confiteris.* August. lib. 1. contra Crescon. cap. 14. quam qui spernit, errores affectat, quia quidquid in hoc sæculo perversorum dogmatum est, & putatur robustum, hac arte subvertitur, & instar incendii in cineres favillasque dissolvitur. Hieron. super Ezechiel. Hæc verò Dialecticæ encomia, non ideo enarramus, ut quis fallacias ejus vitandas non putet, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, id est Dialecticam, & inanem fallaciam.* Apostolus ad Coloss. 2.^o sed ut perspiciatur (quod bene Doctissimi PP. nostri Complutenſes Disputat. 1.^a q. 1.^a præœmiali Logicæ) quàm sit à pietate alienum, Dialecticas in subvertendis dogmatibus perversis subtilitates improbare: quantumque è contrà religioso viro consonet earum studium, à quibus ferè omnes Sancti, Apostoliq. ipsi non fuerunt alieni; quasq. Dux noster, & Magister Christus, factò commendavit.

Miraberis fortè, quòd Aristotelis textum prætermittam; quo d ordinem doctrinæ, ferè in scholis receptum, immutem; ut verbo, quòd eam Methodum statuam, quæ mihi soli omnium optima visa est, nempe ut 1.^o Summulas, quæ nobis sunt *Præparamentum Logicum.* 2.^o Tractatum de *Ante-universalibus*, in quo de *Cognitionibus & Distinctionibus*; 3.^o de *Universalibus*. ubi de *modis*, quibus fiunt. 4.^o de *Post-universalibus*,
† 2 ubi

P R A E F A T I O.

ubi de Vniversalium divisionibus & numero. 5^o de Ante-prædicamentis. 6^o de Prædicamentis. 7^o de Post-prædicamentis. 8^o Tractatum in Libros de Interpretatione. 9^o in Libros Posteriorum, ubi demum de Logica, an sit scientia, & cætera, quæ ad ejus notitiam spectant, disputem.

Sed defines mirari, si verba R. admodum ac Eximii Dⁿⁱ Caramuelis in suæ Philosophiæ ad Lectorem præfatione penitus consideres, sic, ut quod ille de Assertionibus quæ Aristotelicis, *Assertiones igitur quæ Aristotelicae admittendæ non sunt; quæ Aristotelicae non sunt negandæ; sed concedendæ sunt, si veræ; & negandæ, si falsæ*: nos de assertionum Ordine dixerimus; Ordo igitur assertionum quæ Aristotelicus, ac magis quæ aliorum, amplectendus non est; quæ Aristotelicus non est rejiciendus: sed sequendus si instruendæ Juventuti, & doctrinæ facilius capebundæ, commodus: mutandus, si incommodus, & priora cognitione, monstroso quodam ac confusivo ductamine, posteriora faciat, prout hodie Authores communius, qui sic Philosophiam suam ordinant, ut, prius de distinctis, quam de eorum distinctionibus; prius de genere & specie, quam de Vniversalium cognitione & fabrica, disputent, & Tractatus de distinctionibus, de præcisionibus, prædicamentis, &c. præpostero ordine in Metaphysicam transferant; quos, ut oculum videnti, & ut visum de coloribus disputanti, præmittere debuissent.



OR-